

Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere et benedicere digneris. te rogamus, audi nos.

Quo facto, iterum accumbit, cantoribus Litanias perficientibus.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Quibus dictis, surgunt omnes, et Pontifex, deposita mitra, dicit stans versus altare :

OREMUS.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, segura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum.... in unitate ejusdem. r. Amen.

Deinde Pontifex ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris ; imponit incensum in thuribulum et benedicit more solito. Diaconus, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti :

Sequentia sancti Evangelii secundum

LUCAM, c. 9.

In illo tempore : Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam : neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

Quo finito, liber Evangeliorum osculatur a Pontifice, qui et deinde incensatur. Quo facto, Pontifex, genuflexus, aliisque omnibus genuflectentibus, incipit cantando, schola prosequente, hymnum :